8

THESES LOGICAE, ETHICAE, PHYSICAE,

& his ad compendium insertæ ASTRONOMICAE:

quas adolescentes, ex inclyto *Collegio Salvatoriano, decurso iam* curriculo emittendi, pro Magisterii gradu *consequendo*, συν θεῳ, *defendere co*nabuntur A. D. Iunii.

Præside IACOBO SCHEVEZIO.

ἰατρεῖον ὦ ἄνδρες τὸ τῆ φιλοσόφου σχολεῖον.

Nisi adyta penetrarem Sapientiæ, non erat operæ prætium nasci. detrahe hoc inæstimabile bonum, non est vita tanti, ut sudem ut æstuem.

EDINBURGI,
Excudebat Andreas Hart, 1614.

THESES

MEDICAE,

PHYSICAE,

ASTRONOMICAE:

quas adolescens, ex indivo

ILLVSTRISSIMO SPECTATISSIMOQVE Domino D. IOHANNI LERMONTHO, Equiti aurato, & Baroni splendidissimo de Balcomie, Dairsie, &c. S.P.D.

EGebamus (Illustrissime Domine) egebamus Patrono, grandi, factioso, benevolo: cujus sub vexillo incederemus securi, nos exigua manus, inermes copiæ, cujus contecti umbone, excubante providentia, vallo, fossa, lorica, aggere, undique muniti, propulsaremus strenui, atro perfusa toxico vitilitigatorum spicula, diri dentis ignita tela despiceremus desuper: cujus obstetricante curâ, obsecundante favoris aurâ, emergeret è tenebris, lucem postularet hic fœtus noster infirmus, informis, quam vix tandem lambendo licet millies, in embryonem justum effingere potuimus. Dum circumspici-

mus igitur, dum quæ sit nos circum copia, lustramus oculis, occurrebant sanè plurimi ad singula idonei, è summo Patriciorum ordine non pauci, è Togatorum curiâ, quos frequentes fovet, divini favore Numinis, gens nostra quondam semibarbara, queîs freta, fœta, vel Athenis Socrates, vel Tullios jactanti Romæ, ausit manum conserere, convitia queat reponere, vel ipsis, qui lacessivere olim, haud parùm probrosa. Tu solus occurristi (adeo nostræ fixa penitus sedet hæc sententia menti) qui præstare posses omnia, & velles idem quàm promptissimus: Tu qui generis splendore, fumosis imaginibus, è primis proceribus vel nulli secundus, avitis opibus, tuo Marte auctioribus, generosa conjuge, numerosa prole, florente familia, longo clientum agmine vel summè conspicuus (cujus interim haud hæret obstipus circa isthæc animus, in humum defixus malè, sed cœlestem spirans prosapiam sublimiora sapit, ad summa quæque virtutis grassatur via) Tu qui hunc subactum dederis probè, excultum egregiè, fœcundum abundantissimè, omne genus suppellectile preciosâ ornatissimum, locuplete penu instructissimum: ἀρετᾶν (quod ait vates) κορυφας λεέπων ἀπὸ πασᾶν: ut meritissimus audias virtutum cinnus omnium, Divinarum, Heroicarum, Moralium, Patriciorum Horizon, & Togatorum, pietatis Hymenæus & probitatis, Mercurii certamen & Palladis. Ast terrebant ista, fugabant longè, nos tenues homunciones, non sustinentes vultum attollere, suffigere oculos adversum tot coruscantes Soles, tot rutilantia sidera! Tu deniq; qui tantas inter opes, inter honores, tot raras inter tam eximias animi fortunæque dotes, ea emineres cunctis moderatione animi, in obvios quosque comitate, etiam erga infimos affabilitate

litate, ut ad miraculum usque suspiciendus sis omnibus, & nobis vel ideo, tanquam Numen aliquod tutelare & propitium, ad auxilium ultro advocandus. Hæc demum (humanissimè Domine) nutantibus primùm, & tantùm non labantibus obfirmavere animum, & suscepto semel in consilio detinuêre pertinacem, quo avebamus plurimùm, post immensos exantlatos labores, decursũ hoc Philosophicum stadium, enavigatum hoc salebrosum æquor, vigilanti sub Palinuro, in vado tandem securi, has laborum primitias, trophæa luctæ, monumenta sudorum tibi dicare, consecrare, ad tuam aram, hanc quasi votivam tabulam, appendere: hæc spondebant eadem, haud ingratum fore tibi hoc qualecunque, si fas dicere, munusculum, vel hoc præsertim delatum nomine, quo certè intelligeres, ornandi, tui nobis si desit facultas, at voluntatem superesse. Quare sereno animo, renidenti vultu, manu protenta, recipe has nostras schedas, hæc Sibyllæ folia, non postulamus ut in inclyta tua Bibliothecâ sedem designes ipsis ullam, non dignamur tanto honore, ut tanto in splendore, tanto lumine, inter omnia omnis ævi ornamenta recondantur & decora, quæ tenebris & caligine gaudere debeant potius, tinearum & blattarum domos incolere, ad salsamentarios amandari: Hoc tantùm obnixè obsecramus, ut tui benigniore aspectu vultus, quasi fausti afflatu sideris animatus, Tui patrocinii superbus titulo, in lucem prodeat hic libellus, à te vitam hauriat salutarem, in unum modò diem perduraturam, qui conferre potes in multa perennem sæcula. Nosmet interim ære (quod aiunt) & libra, tibi in perpetuum totos mancipatos, fidos devovemus clientes, ad obsequium omne promptissimos: & quò fausta felicia cuncta cedant Patrono Amplissimo, Deum Opt. Max. anxiis votis nunquam non fatigabimus. Vale.

Georgius	Achmutæus.
Iacobus	Balfourus.
Ioannes	Fletcherus.
Archibaldus	Montcreiffus.
Andreas	Iunius.
Ioannes	Watſonus.
Andreas	Bennetus.
Robertus	Douglaſius.
Patricius	Robertſonus.
Robertus	Petreius.
Alexander	Davidſonus.

Theſes Logicæ.

I.

MEns humana (quam vocant paſsibilem) Philoſopho noſtro, nec reclamant multum graviſsimi Theoſophi, ex ſeſe, 3. de Anima Tex. 15. ad inſtar eſt raſæ tabulæ, in qua exaratum ſit nihil, ne quidem ſemiperfecti characteres: impreſsis verò confertim ſibi ſpeciebus intelligibilibus, quæ à phantaſmatis, ab agente illuſtratis excitantur, adeoque iteratis crebrius intelligendi actibus, tandem acquirit promptam quandam facilitatem, & habilem potentiam cum volet phantaſmata iam ſibi familiaria ſine moleſtia cognoſcendi. Hos habitus vocamus intellectuales, quibus ornata mens, quantum queunt humanæ vires, ad primævam ſui conditionem remeare parat: hos, qui nudas relationes dixerit, qui in phantaſia reſidere affirmaverit, caverit ipſe, quàm veritati, quàm Philoſopho palam pugnantia non metuat proferre.

II. Habitus intellectuales ut patent latiſſimè, vel ſunt certi, ὃις ἀληθεύει ἡ ψυχὴ, τῷ καταφᾶναι ἢ ἀποφᾶναι, vel inconſtantes, ὃις ἐνδέχεται διαψεύδεσθαι 6. eth. 3. illi rurſum vel principales ſunt, vel organici, ſine ultimo diſtinctiſſimi, 1. Top. cap. 9. principales, numerantur quinque, eth. 6. quos, mentis facultate gemina, epiſtemonica & Logiſtica, obiectis, ſine, ſine vero præſertim, vel obiecto ſine modificato & in eſſe conſtitui, & à ſe invicem diſparari, putandum eſt.

III. Impermixti licet ſint habitus iſti, & divulſi finibus, firmum nihilominus tutumque maneat (modo commodum intelligatur)

disciplinæ cujusque, suam esse θεωρίαν, suam πρᾶξιν: & intellectum cum omnibus esse junctum, licet non æqua ratione, sed dependenter, ut solus metaphysicus absolutè intellectus sit nuncupandus, unde & metaphysica sola sapientiæ nomine à Philosopho indigitatur 1. metaph. Si jure summa hic interim agendum est, περὶ μὲν ταῦτα ἀληθῆ μὲν καὶ ὄντα, ἐνδεχόμενα δ' ἄλλως ἐχεῖν, δῆλον ὅτι ἐπιστήμη οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ μὲν ὁδὲ νῦς, ὃ δ' ἐπιστήμη ἀναπόδεικτος. 1. poster. text. 195.

IV. His munitus præsidiis sapientiæ alumnus, adversum omnia obstacula quasi cataphractus aliquis vitæ viam ingreditur impeditam, ac constanti gradu summum bonum (quantum humanis viribus frui obvenit) contendit occupare, vere vellus aureum Argonautica expeditione dignissimum: ab arte, suppetunt vitæ necessaria, à prudentia, vitæ civilis dulcedo, & cum homine jucunda conversatio, reliquis, proxime fœlicitati annectitur, & summum ejus pertingit ad fastigium: sine artibus, ne quidem viveret; sine prudentia, ferarum more viveret; sine reliquis, tenebrarum clausus carcere miser viveret: illæ, necessitate primæ, dignitate extremæ, prudentia mediat inter extrema, & has vincit necessitate, & illas dignitate, ab his tamen dignitate vincitur: sine habitu instrumentario incassum tentantur disciplinæ, difficile est simul scientiam & modum sciendi acquirere 6. metaph. hic utì necessitate, ita dignitate, nec primus est, nec extremus.

V. Ad hæc quinque summa capita (potes, si voles, in pauciora redigere) revocari quis credat universam encyclopadiam, amanissimum humaniorum disciplinarum circulum, cujus centrum est θεοσοφία, in quam collineent omnes & tandem terminentur necesse est, ad quam tanquam ad amussim exigendæ veniunt, à qua, si vel latum recedant unguem, κενῆς ἀπαιδίας meritissimum incurrunt opprobrium, mataeotechnias justissimam labem, nec παιδείαν quam pollicentur, sed παιδίαν ludificando præstant, cui demum soli jure debentur, quæcunque Philosophus suæ adblandiens defert politicæ, eth. 2. aut primæ philosophiæ, alibi sincerior.

VI. Logicæ finis (quæ Philosopho ὄργανον ὀργάνων, & χειρ φιλοσοφίας 2. metaph. 3.) ex objecti inopia, mentis infirmitate,

rate, venit æstimandus: erit igitur cognitio veri, ad cujus obtutum haud aliter vacillat mens humana, quam ad micantes Phœbi radios noctuarum oculi: ut hinc cernamus Logicam ὀυσιωδῆ habitum esse instrumentarium: renuntiemus abhinc retorridis jam de genere Logicæ sententiis, quarum crassiores aliæ, artem statuunt, aliæ monstrosæ, scientiam ponunt, & si placet scientiam practicam σιδηρόξυλον: Quid intactum reliquit, quid intemeratum, scholasticorum vesania? qui Logicam utentem ut vocant naturam instrumenti, usu amittere dixerit, licet speciosum pretexat argumentum, ipse tamen æquè falsus fuerit.

VII. Quid vetat igitur syllogismum Logicæ subjectum esse adæquatum asserere, & organum Aristotelicum hactenus perfectum extitisse? Quid vetat jampridem Logicæ explosam revocare partitionem in partem communem & propriam?

VIII. Reclamabunt scio multi: hic methodum desiderabit, sed instrumentum esse Logicum pernegabo, immo artis pene expertem esse asseram, deque ea pro re nata præcipere, omnium esse disciplinarum sua consuetudine confirmasse Philosophum: ille tripartitam suam divisionem pro tribus mentis operationibus pertinax asseret, sed iniquam magis parcus hic fuisset ipse in terminorum simplicium tractatione, quorum pars magna ad metaphysicam spectat, quorum omnis in Logica tractatio relativa esse debet, addo (quod vel maximè redarguit ipsum) primam mentis operationem aut ἀμήχανον esse, aut scape indiget, à syllogismo remedium esse omne: de secunda idem judicium: Scholastici definitionem requirent, & divisionem, sed regeram, in Logica Aristotelæa quantum tractari debent, abunde esse enucleata.

IX. De categoriarum libro hæc tuenda suscipio omnia, 1. librum illum de rebus esse, non de secundis notionibus, quod vel parum advertenti tractatus ipse ingerit, verùm proponuntur divisiones, proprietates & cætera rebus congruentia: vires eo libro tractari ut in iis exercentur præcepta logica, formantur secundæ notiones, nomen, verbum, enuntiatio &c. 3. vel ideo non esse partem logicæ, licet in logica sit necessarius: 4. errare istos, qui hoc libro termino-

rum simplicium primæ mentis operationi respondentium tractationem putant esse susceptum: Denique æmulandam esse potius candidam horū negligentiam qui res hic cum Philosopho πανυλῶς καὶ ὡς ἐν τύπῳ enarrant, quàm eorum præposteram diligentiam, qui spinosissimis quæstionibus è metaphysica contemplatione petitis, statim in limine Logicæ retardant multum tyronum impetum, & tenella ingenia miserè lancinant.

X. Ἔσται ἄρα πᾶσα κατάφασις καὶ ἀπόφασις, ἢ ἐξ ὀνόματος καὶ ῥήματος, ἢ ἐξ ἀορίστου ὀνόματος καὶ ῥήματος Periherm. cap. 10. & ibidem mox apertè, τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ῥήματα ἐκ τῶν κειμένων ἐστί, προσσημαίνει γὰρ χρόνον. Est, etiam tertium adiacens, semper verbum est, & significat aliquid: & nimis iniquum est postulare, ut idem quod ante, significet facta nunc resolutione.

XI. Cum ens omnium consensu & essentiam significet, & existentiam: est & entitatem significabit & existentiam in enuntiationibus quidem ex est secunda adiacente, penè semper existentiam, in effatis ex est tertio adiacente, entitatem, non quidem liberam, sed determinatam ab attributo sequenti materiali: 5. metaph. cap. 7. de Cutèo sermonem habens philosophus subiungit, ἑνὸς δὲ λόγου, τὸ εἶναι τοῦτο ὅπερ ἦν.

XII. Contradictionis partem alteram, etiam in effatis singularibus de futuro contingenti, veram esse determinatè, reliquam signatè falsam, & supercœlestis confirmat veritas, præscientiam asserens divinam, & humana suadet ratio, τῶν γὰρ, τὸ πρᾶγμα εἶναι ἢ μὴ εἶναι, &c. cap. de Substan. at res hæc erit, hæc non erit, & enuntiatio igitur hæc vera est hæc falsa. qui Arist. hoc ignorasse autumat, is puerilis prorsum insciti a dicam impingat gravissimo philosopho, neque enim excepit à communi regula futuras contingentes de subiecto communi, at sciunt tamen vel tyrunculi, & in ore promptum habent universales verificari in singularibus.

XIII. Ast multùm diversus videtur abire philosophus, scio. verùm quæ dicuntur ab ipsa causæ sunt intelligenda: nam quod in futuris contingentibus non esse determinatam asserit veritatem, hoc voluisse philosophum, à finito intellectu res non nisi ex causis cognoscente, hanc determinatè veram esse illam falsam cognosci non posse, præsertim quum futurorum eventuum causa ad opposita sit libera, & utcunque

cunque ad totum eventum contradictorium determinata, non tamen ad hanc eius partem præ reliqua signatè, hoc unquam voluisse philosophum (quidam brevibus ita rem declarant, si sensus formalis inspiciatur, determinatam esse veritatem, si causalis, non item.) ego strenuus contendo, & in meam sententiam, quicunque sine præiudicio philosophi argumenta & doctrinam seriò pensitabit, pronopedibus deventurum.

XIV. Syllogismus in prioribus Analyt. pertractetur licet ut nullis materiæ condtionibus alligatus, ut aptus tamen alligari consideratur, & ad usum promi: (probativum vulgo vocant) ut meâ sententiâ, syllogismi illa definitio 1. prior. 1. syllogismus ex aperte falsis, impossibilibus & ridiculis illis ex terminis abecedariis neutiquam conveniat, & illa, ἐν ᾧ τιθέντων ἄλλων, non modo ut vulgò, sed amplius cum Gellio, consensis quibusdam, seu concessis, aut concedi idoneis, interpretanda sint.

XV. Analysis duplex est, syllogismi alia, qua argumenta per autorum scripta disseminata, sæpè haud integrè posita, filo deducta pleniori & Rhetorico, subsidio Logicæ ad formam revocantur, & seriatim proponũtur: de qua sanè, præclarè multa philosophus sub finem primi prior: cur igitur hiatum subesse hic clamitat Ramus? conclusionis alia, quæ rursum duplex, in principia scilicet vel formalia, inferendæ tantum conclusionis, vel materialia, etiam causandæ, ab hac libri hi quatuor resolutorii vocantur, à priori priores, à posteriori posteriores.

XVI. Scientia non prorsum de novo acquiritur, sed præcognitionibus certis quasi fulcris superstruitur tam superba moles: (adeo non metuimus ab arguto Menonis dilemmate.) estque habitus conclusionis necessariæ per medium necessarium. In summa & objecti necessitatem, & subiecti securitatem, & causæ constantiam postulat.

XVII. Præcognoscuntur verò, & incomplexa & complexa: incomplexa, subiectum utroque modo, & quid sit & quod sit, & affectio quadantenus utroque, ut quæsitum hac ratione evadat principium, saltem cognitionis: complexa, & communia & propria, utroque modo, & quid & quod. horum omnium (nam simplicium præcognitio tandem resolvitur omnis in principia complexa.) ad demonstrationem hic est usus: e propriis, sola definitio ingreditur demon-

ſtrationem, quanquam non qua definitio: hypotheſes, ſeu ſubjecti ſeu affectionum, poſtulata item, extrinſecus ei deſervientes, ſicuti & dignitates, ſed relegatæ: hæc ſolum principia dicuntur cognitionis, illa & rei & cognitionis: horum præcognitio dirigens rite dicitur, illorum agens.

XVIII. *Propoſitionibus* καθ' αὑτὸ, *illa per ſe ſecundi gradus, nexum ſuperaddunt cauſalem, quarum vel quatuor diſtinguere poſſumus claſſes cum Philoſopho cap. 4. primi poſteriorum, ſatis laxè loquendo, vel ut expungamus tertiam (revera enim verba Philoſophi modum eſſendi ſonant non prædicandi) tres, vel ut rejiciamus quartum tanquam parum neceſſarium, & à duobus primis minimè diverſum, duos, quod facit Philoſophus ibidem, & poſtea cap. 6. vel denique ſi placet* ἀκριβολογεῖν, *unum generalem eumque quartum, nexum denotantem cauſalem, duos primos ut ſpeciales ſub ſe coërcentem, prout vel prædicatum cauſæ rationem habet vel ſubjectum. Themiſtianas propoſitiones per ſe dari etiam utiles ultrò agnoſcimus, verùm ab his minimè diverſas.*

XIX. *Propoſitiones per ſe elimant univerſales nexu eſſentiali & reciproco, nam & pleráſque dari contendo per ſe, etiam nonnullas ſecundo modo, quę tamen non ſint univerſales; proprium enim de ſubjecto inferiori per ſe prædicari puto negaverit nemo, at de ſubjecto primo quis auſit affirmare?*

XX. *Demonſtratio* διότι *variis prænitet ſpecioſa conditionibus 1. poſter. cap. 2. & 4. enarratis, in ea major & concluſio eſt per ſe ſecundo modo, minor nunc primo, nunc ſecundo, nunc nullo. demonſtratio* ὅτι *ut conditionibus ejus deficit, dignitate & gradu infra ipſam ſubſidit: quę eſt ab effectu ab ea receſſit minimùm, omnes ſibi vendicans conditiones, niſi quòd per naturâ priora & cognoſcendi cauſas non demonſtret, illa à cauſâ remotâ receſſit ulteriùs vel præcipuâ vacans, neque enim ex immediatis ſcientiam parit, cujus tamen major eſt per ſe primo modo, minor & concluſio nullo, ut illius major per ſe primo modo, minor ſecundo. Qui præter has demonſtrationis ſpecies novam procudit ſyllogiſmos illos* ψελλιζόντας ἢ παραφθεγγιζόντας *propter admirandum inventionis acumen fœnum eſſe oportuit.*

XXI. *Medium demonſtrationis* διότι *cauſam eſſe oportet adæqua-*

æquatam & proximam maioris extremi, cuius solùm vult parere scientiam, contingit tamen non rarò & minoris esse, sed in diverso causæ genere, sicuti & utriusque definitionem similiter. & de medio hæc omnia salvari possunt, medium demonstrationis vel tantùm causa est externa efficiens & finalis, vel efficiens finis & porrò materia, vel forma tantùm, vel denique in omni causæ genere efficientis, &c.

XXII. *Inter omnes demonstrationis δίοτι proprietates præ aliis eminet una, quod quæstionem quid notificet, atque adeo in perfectam accidentis definitionem, à qua situ tantum terminorum differt sit resolubilis. Atque hæc est suprema Logicæ facultas in cognitione simplicem tandem desinens. Atque ita nos evehit divina methodus quam potest proximè ad divinum cognoscendi modum. Hæc opici cogitare non possunt lævo homines ingenio & projecto, qui demonstrationem quasi Chimæram sunt ausi exagitare, & tanquam Platonis rempub. falsè sugillare.*

Theses Ethicæ.

I.

Prudentia divino Platoni humanæ auriga vitæ, quæ nisi cautè flectat habenas, præfractis affectibus, tanquam indomitis equis, in præcipitia trudimur, Philosopho nostro virtutum omnium moderatrix & ἀρχιτεκτόνισα (τέχνης ἐστιν ἀρετὴ φρονήσεως δὲ ἕξις 6. eth. cap. 5.) cum sapientia tam arctè est combinata, ut sine utrâque perfectè prudens censendus sit nemo, & sapiens omnis Heroicæ prudentiæ titulo sit honestandus: ὡς μάλιν φρονεῖ quicunque ἑαυτῷ μόνον φρονεῖ: nedum prudentiæ elogio sint decorandi veteratores isti vafri, qui per fas nefasque se suaque tantùm auctum eunt.

II. *Si in certamen descendant vita Saturnia & civilis, puto incorruptum iudicem quod suum est, cuique, sine dolo malo delaturum: nec hanc nec illam superciliosè nimis reiecturum.*

III. *Prudentiæ ὑποτύπωσις est civilis disciplina, tristissimæ animæ calamitati averruncandæ destinata, affectuum ἀλαξία: cuius finis licet activa sit solùm felicitas, contemplativam tamen ritè considerat ipsa, quod confirmat abundè Philosophus, qui Ethicis in Nicomach. definitionem dedit utrique pariter congruentem, virtutem utramque utriusque conciliatricem enucleavit ibidem, & lib. demum 10. hanc ab illa apertiùs segregavit.*

IV. *Certissimum est summi boni γνώρισμα (quod viatori viribus propriis συνδυάζεσθαι πέφυκε) si finis ultimus sit, si propter se solùm expetibilis, si propter ipsum connexa cuncta & bonitatis & expetibilitatis fiant μεθέκτικα. Quid ergo moramur amplius caperatam Stoicorum frontem, virtutem obtentantium, prædicent licet actuosam? Quid blanda voluptuariorum delinimenta? licet Philosophum in partes trahere tentent, non sine specie rationis: sit voluptas felicitatis illecebra, eius lateri adhæreat comes indivulsa, exoptatur tamen honesti gratia, non e contra. Quid χαίεττων vota? Quid brutum vulgus in terram nunquam non cernuum?*

V. *Quin potius summi philosophi divinum, ut par est, admiramur ingenium, qui hæc, quod videtur, ἀσύμφωνα ita consociavit, ut conspirent concorditer ad summi boni συμπλήρωμα: eius essentiam in actione honesta reposuit, virtutem perfectam parentem statuit cum generosa prolis, εὐμερίαν εὐτεκνίαν, &c. necessaria speciosa illius instrumenta, reliqua aut ipsam concomitantia, aut ab ea quadam ratione pendentia.*

VI. *Fœlicitas vitam requirit perfectam 1. eth. 7. & ibidem, una hirundo non facit ver, hoc est, ut interpretor, cum ætate maturam iudicioque pollentem, pueri non re sed spe tantùm sunt fœlices, tum longo temporis tractu in probis actionibus consumptam, ac ita ad extremum vitæ actum sine turbis perductam: unde sequitur neminem in hac vita absolutè posse fœlicem nuncupari, & Solonis dogma non modo Theologorum decretis consentire, sed nec Philosophi ipsius placitis repugnare.*

VII. *Ad honorem hæc accedunt omnia: in eo, cui defertur, meri-*

merita, virtus, etiam utraque, quæ honoris illex dici potest, sed moralis, proximè, sed actuosa, præclara præsertim in patriæ decus facinora: in deferente probitas, judicii rectitudo, affectus interior, signa denique quibus hic se dat foras, quæ varia vel in verbis, vel in dignitatis gradu aliquo, vel in donis, &c.

VIII. *Quæ cum ita se habeant, de honore hæc omnia defendi possunt: honor in bonis & externis & internis censeri potest: qui honore afficitur non merè passivè se habet sed vel maxime activè: nemo improbus aut honore afficere potest alium aut ipse affici: ut quisque optima est indole vel avidissimus ipsum ambire tenetur, quum alioqui ejus ambitus non vacet vitio: in honorante sit maximè, ipse honoratus non dicitur, & ipsum tamen honore dignum reddit: unde & non deferre promeritum deterius est multò, quam honore justo defraudari, & honorare melius est quam honorari, & injuriam pati quam facere.*

IX. *Passiones, virtutum sunt materia: voluptatem vero & dolorem passiones esse quis credat? nisi qui & harum naturam ignorat in motione positam, & illarum in quiete potius & motus termino: Quare ut ad perturbationes referuntur, vel sunt principia eas excitantia, objecti boni vel mali cognitionem sequentes, vel consequuntur ipsas, ex ejusdem fruitione aut privatione.*

X. *Perturbationes, & honestarum actionum sunt incitamenta, & fomenta pietatis: quare qui eas ex hominis vel sapientis animo radicitus velit evulsas, eâdem operâ, & relligionis omnis, & vitæ civilis fundamina convulsum iverit: Stoici siquidem εὐπαθειαν tantopere celebrant, nõ video quo pacto ἀπάθειαν defendere queant.*

XI. *Virtutes morales, quæ μετριοπάθειαν adducunt, habitus sunt animi in mediocritate sitæ, ea quæ ad nos, à mente quidem reguntur, in facultate interim residente appetente (homo enim, si mens ejus à sensibus sejuncta foret, virtutibus moralibus non magis egêret quàm Intelligentiæ) ad quarum productionem certatim coeunt doctrina, item mos & assuetudo, sed præsertim & proximè assuetudo, hoc est, crebra bonarum actionum exercitatio, actiones enim probæ, & parens sunt virtutis, & soboles, sed essentia dissitæ, præcurrentes & subsequentes habitum, illę bonæ qui-*

dem sed non bene: adeoque humano marte virtutes parantur morales.

XII. Quæ verò immediatè sunt ἄπο θείας μοίρας, immane quantum ab istis recesserunt, veræ demum virtutes illæ relligiosæ, quarum hæ nil nisi larvæ sunt & simulachra nuda, imo in ethnicis vel speciosissimè, Scipionis fortitudo, Catonis justitia, Fabricii temperantia, coram Dei tribunali splendida sunt peccata, & si quid bonitatis habebant extra ordinem Dei munere concessa erat, ad humanam continendam societatem.

XIII. A præelectione proximè pendet actio, præelectio factam sequitur consultationẽ, & eius decreta amplectitur, consultatio non suscipitur nisi proposito fine, & ab appetitu mentis desiderato, voluntas fertur in finem, adeoque bonum, & quidem verè bonum, nisi quòd haud rarenter intellectus errore abducatur, & boni specie deludatur, consultatio & præelectio circa media quæ ducunt in finem occupantur, voluntas nedum in nostra sed & in aliena propendet, consultatio & præelectio circa nostra tantùm hærent.

XIIII. Temperantia, vel teterrimam frænat animi cupiditatem circa voluptates & dolores, hos per accidens, illas per se, neque tamen omnes (à quibusdam teste Philosopho, nec σώφρων quis dicitur, nec ἀκόλαστος, nec ἀναίσθητος) sed è gustu & tactu præsertim ortas, θηριωδεῖς illas: nam σωφροσύνη probrosas prorsum aversatur, honestas solum amplectitur, præsentibus parcè utitur, absentium desiderio non nimis angitur: tanto magis expetenda, quo Prudentiæ ipsius adeoque virtutum omnium est conservatrix, concatenatas secum trahit abstinentiam, sobrietatem, castitatem, pellit procul ἐναντία κακὰ, quæ humanum lacerant genus, γαστριμαργίαν, ebrietatem, libidinem, quo magis detestamur omnes Philoxenos, Sardanapalos, Biberios, & Pittaci legem de duplici supplicio afficiendis ebriis, qui contumeliam fecissent alteri, appositis calculis stabilimus.

The-

Theſes Phyſicæ & Aſtronomicæ.

I.

PHiloſophia ſpeculatrix circa res verſatur neceſſarias, à materia (quæ erroris omnis, omnis obſcuritatis eſt latebra, & in cognoſcendo difficultatis prima radix) mentis cogitatione avulſas, variè quidem, unde pendet ſcientiarum à ſe invicem diſtinctio, & numerus ipſa canitie venerabilis, nec tentandus temerè, indagandæ veritatis ergo, in cujus cognitione acquieſcit animus, & ſincero demum delibutus gaudio, ad ſummum evehitur fœlicitatis humanæ faſtigium: adeo nec una communis ſtatuenda eſt rerũ omnium ſcientia, atque ita reliquæ in metaphyſicam, tanquam in Satyram, confundendę, nec ipſi reliquas ſubalternari putandum eſt.

II. Mathematica non datur communis, ipſę tamen vel maximè ſcientiæ digna nomine, quicquid contra vir doctiſſimus, ſubalternatæ (recte vulgo dicitur) non faciunt numerum, unde & in iis tranſitum haud damnavit Philoſophus 1. poſteri, quippe eadem retenta ratione conſiderandi, ſubjecto ſuperioris tantùm ſuperaddunt qualitatem ſenſilem, manent igitur puræ Mathematicæ: Aſtrologia hic ſibi vendicat aliquid peculiare, ſubjecto aſſumpto corpore cœleſti, & hactenus ſit φυσικώτερα.

III. Phyſica corpus ſpeculatur naturale, ut natura conſtat interno motus principio: Intelligentiæ, anima rationalis, ſubjecti aut partis ſubjecti in Phyſica rationem obtinere nequeunt: ut principio-

rum vice fungantur, rite in eâdem considerantur, Intelligentię, ut principia affectionum tantùm, anima rationalis, ut principium utroque modo, & subjecti & affectionum, cuius perfectam si forte desideras scientiam, non Physica sola consulenda est, non Metaphysica sola, sed utraque, & porro ad partes vocanda sacro-sancta Theologia, quod ei quantum scio est peculiare.

IV. Medicinam haud aliter putandum est subalternari Physicæ, quam Arithmeticæ subalternari Musicam sonoram, Astrologiæ astrologiam nauticam asseruit Philosophus 1. poster. text. 100. Medicus dum corpus humanum ejusque affectiones accuratè contemplatur, Physico propior est, dum adducit sanitatem ipsi, medicum agere magis proprie dicitur: &, quę vulgo dicitur, pars medicinæ Theorica verè pars est Physicæ, quarè vel ἐξαιρέτως ars nuncupetur, at scientia neutiquam indigitanda venit.

V. Materiæ primæ Metaphysicè consideratæ non modo essentia concedenda est, sed & existentia illam nexu individuo consequens, adeoque actus ut vocant entitativus, à forma neutiquam communicatus: ne purè nihilum esse fateri cogamur, spoliatam tamen omni forma unquam existere minimè putandum est: at vero formam corporeitatis ei coęternam assignare pro absurdo habẽt omnes, & ego corpus simplex esse affirmare, quod genus summum sit in Substantiæ Categoria, æquè à ratione abhorrere puto: potentia qua conceditur ei, & essentialis statui potest ipsi, & passio ejus propria & commune accidens.

VI. Omnis forma Physica è sinu materiæ ab agente generatione educta, caduca est & corruptibilis, materiâ tamen nobilior est, quam ingenerabilem & incorruptibilem rite sanxit Philosophus, quippe cujus fœmineitatem demolitur & turpitudinem, & compositum ita constituit, ut à Philosopho nunquam non dicatur, λογος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι, & ego gravissimis viris assentiar totam rei quidditatem esse opinantibus.

VII. Causę particulares frustra moliantur opus, nisi virtutem immediate conferat absolutè prima, Deus Opt. ter maxim. illo manum revocante ignis non urit, &c. nos interim, dum veritatem hanc exosculamur, nec particularium causarum agentiam labefactamus, nec voluntatis humanæ libertatem tollimus.

Res in

VIII. *Res in potentia est triplici : ut fiat, ut sit, ut operetur: primam absorbet motus, secundam forma producta motu, tertiam operatio inde fluens: inchoato semel motu desinit potentia ad fieri, remanet interim potentia ad esse, unde motus & actus dicitur & potentia, licet intimior sit potentia, ut à movente est, actus secũdus dicitur, ut in mobili, primus, ut ab illo, actus perfectus, ut in hoc, imperfectus, ut verissimum sit dari actum priorem primo, nec minus verum, ni fallor, motum à termino ad quem non re sed ratione differre, formam esse fluentem non fluxum formæ, & secundum ista ad diversas revocari Categorias.*

IX. *Quies, si loquendum est propriè, non est motus privatio, præsertim quum quietem & statum, tanquam, extremam sui perfectionem, res naturali instinctu aucupari anhelent, motus quidem rei perfectio est, sed perfectibilis, quies rei perfectæ perfectio est, unde mea sententia multo existit nobilior : ut decedatur tamen de summo jure, quietem innaturalem motus naturalis privationem esse concedendum est, & quietis naturalis motum innaturalem.*

X. *Cœlum, contra omnes veteres Philosophos secus sentientes, argumento efficacissimo à motu circulari, primus demonstravit Artes. quintam esse nuncupandum essentiam : nos corpus simplex esse asserimus, non alia ratione, quàm elementum quodlibet: nam corpus dari physicum, quòd sola constet materia, quod forma sola, portenti quid est simile, nec veremur cœlo compositionem assignare, ex materia & forma etiam informante, interim toto genere diversam intelligimus ab illa sublunarium, ne cœlum corruptibile esse admittamus : siquidem Philosophi dogma de cœli incorruptibilitate tantum approbamus, quantum de æternitate ejusdem placitum detestamur.*

XI. *Nos enim, clariore luce divinitùs affulgente, cœlum in principio temporis, à Deo è nihilo conditum esse edocti sumus, naturâ ipsi à Deo inditâ incorruptibile evasisse arbitramur, & in eodem statu, modo non subducatur, quam nunc confert opem, ordinariè Deus, sine senii ullo sensu, sine labeculæ vel minimæ nota, in æternitatem omnem posse constanter permanere: à Deo interim, qui naturam hanc dedit incorruptibilem, in nihilum, cum volet ipse, redigi posse, piè existimamus.*

XII. *An vero in terrifico Domini adventu dissolvetur mundi machina non restauranda amplius, divinari est proclivius, quam quicquam adseveranter ponere, propendet tamen animus in hoc potius, quorsum enim ista terræ marisque restitutio, cum vastissimis aeris regionibus, & cœli fornicibus, si nulli harum sedium incolæ, perinde ac si quis de reconcinnandâ vaginâ sit sollicitus, cui nullus unquam sit inserendus gladius.*

XIII. *Orbes cœlestes, ab Intelligentia quosque assistente, in gyrum perenni motu concitari, passim asserit Philosophus, & jure: nulla enim facultas materialis, æterni motus principium esse potest: sartum tectum nihilominus maneat, & motum cœlestem naturalem esse, & cœli formam informantem non desidere otiosam.*

XIV. *Impegisse tamen gravissimè in hoc negotio summum Philosophum quid mirum? dum humanis fretus viribus, quæ humanum longè exuperant captum, pertractare tentat: quòd Deum statuit primi orbis primum motorem (hoc enim voluisse ipsum optimi referunt interpretes) quod etsi fortasse non implicat, at veritati consentaneum est magis, propriam ei assignare Intelligentiam, cur enim in aliis magis opus esset motore peculiari, eodem namque motu moveret omnes Deus: quòd immaterialium substantiarum numerum, pro orbium cœlestium numero determinaverit, quum alias nobis persuasum sit, præter motrices orbium cœlestium, divino numini perpetuo astare satellites, innumeram turmam, mitti alias ad certa & mysteria & ministeria.*

XV. *Cum diuturna inspectione diligenter observarent Astronomi multiplices astrorum motus, duob. firmissimis innixi fundamentis, uni corpori simplici non convenire per se plures motus, 1. de cœlo cap. 2. stellas non cieri propriis motibus, sed deferri infixas orbibus, 2. de cœlo cap. 8. ipsa necessitate impulsi, orbium cœlestium stabilivere multitudinem, & si fides habenda Astronomis, censuisse optimè existimaverim illos, qui undecim statuere orbes mobiles, propter quadruplicem observatum in firmamento motum, præter septem planetarum varios motus completos duos, incompletos reliquos, quorum superior quisque inferiori suum communicet motum, exceptis planetis, neque enim Iupiter motu Saturni movetur, nec moveri potuit, sine cœlestium orbium fissione.*

XXVI. *Isti-*

XVI. *Istis, si cœlum adjicias Empyræum, Dei glorioſi, Angelorum, & beatorum ſedem cœlitum auguſtiſſimam, (quod dari licet nec Phyſica demonſtrare poſſunt rationes, nec Aſtronomica: quippe immobile, impervium oculis, nullatenus cum inferioribus commercio obnoxium, depingit tamen ſacra pagina ſpecioſis titulis, & dari ſuadet evidentiſſimè, utcunque nos in rebus creatis numerandam cenſemus) in univerſum duodecim exiſtunt orbes cœleſtes, totales omnes omnes concentrici.*

XVII. *Eadem neceſſitas Aſtronomos coegit planetarum orbes variè partiri, in eccentricos, epicyclos, partim eccentrios partim concentricos, præſertim ut ſalvarent motus Planetarum anomalios, & diſtantiam à terra, quæ frequenter variat, in oppoſito Augi obſervatur alia, alia in auge: nec ſunt hæc Aſtronomorum commenta, quicquid contra Averroiſta.*

XVIII. *Aſtra, denſiores ſunt orbium ſuorum partes, unde & lucem reflectunt, quam craſſè ſatis formam ipſis eſſentialem eſſe ſtatuêre Academici cum accidens ſit, ex parte connatum (quod non minus de luna quam de cœteris pro vero habeatur) ex parte mutuaticium (& hoc non minus de reliquis omnibus, quam de luna pro certo affirmetur) quod ex abundanti omnibus impertitur Sol, cui ſoli non eſt adventitium, cuique vel ob hoc ipſum, mediam inter planetas aſſignavere ſedem accuratiores Aſtronomi.*

XIX. *Sola tamen luna eclipſin patitur, & luce ſpoliatur mutuatitia, idque dum in oppoſitis exiſtit nodis, quibus ipſius deferens ſecat eclipticam, capite & cauda draconis: tum enim umbra terræ (quæ luna eſt multo major) à ſole ſparſa, ne latum quidem unguem ab ecliptica recedente ut quam, in ecliptica partem è diametro oppoſitam, in qua exiſtit tum luna, ſolis radios, quibus lucebat, aufert ipſi, quæ cum conoides ſit, ſenſim in mucronem attenuatur & evaneſcit, nec ultra orbem Veneris pertingit, unde quæ ſupra ſunt ſolem ſtellæ nequiquam eclipſantur, Venus & Mercurius nunquam tantum recedunt à ſole, ut in oppoſito exiſtant ecliptica nodo, quo modo interim ſolem eclipſari dicimus, & ſtellas alias non raro eclipſari putandum eſt.*

XX. *Sol propriè loquendo eclipſin non patitur, ſed à terra auferuntur ejus radii, umbra lunæ in ipſum ſparſa, quam facit ſol*

XXIV. *Motus gravium & levium a variis pendet causis: a generante conferente formam, ut causa prima, a forma ut proxima, efficiente per emanationem, a removente prohibens, ut causa per accidens, a gravitate & levitate ut instrumentis formæ, ab ipso toto elemento, ut agente per transmutationem, sed per accidens, quatenus a forma prius motum movet medium, ad cujus motum movetur.* In concilio pugnantes Philosophorum sententias; quia Philosophus 8. Physic. in movente se ipsum moventis & moti necessariam inculcavit distinctionem, hac ratione saltem distingui in elementorum motu contenta, & hoc sufficere.

XXV. *Cogitari non potest, unde existat interna in motu elementorum resistentia, nos externam tantum cum Philosopho agnoscimus: quare motum simplicium in vacuo, omnino non fieri diceret ille, licet animalis concederet, motum vero in vacuo, instanti fieri nunquam asseruit Philosophus, nec asserere potuit sine aperta contradictione, & supra, quam par est, liberales sunt, qui hæc ei condonant.*

XXVI. *Motus τῶν βαλλομένων in fine tardior est, in principio celerior, quia vires motrices à movente externo impresso medio, quod motus istius ex Philosophi sententia est vehiculum, deficiunt sensim, quo remotius ittur a primo movente: Motus τῶν φερομένων in medio est concitatior, utrinque remissior, propter organorum quibus peragitur conditionem: Motus denique gravium & levium principio remissior in extremo concitatior est, propter continuam imminutionem resistentiæ in medio, nec diversus abit Philosophus 1. de cœlo Tex. 88.*

XXVII. *Qualitates elementares, vel motrices sunt, vel alterativæ, nec hæ nec illæ elementorum sunt formæ, sed accidentia post. ... formis, & hæ tamen & illæ pro formis ipsorum lateribus capiuntur, unde ... illis & priores dici queunt, & posteriores: qualitates primæ tactiles & formæ elementorum essentiales dici possunt, & accidentales, & elementorum materia & mixtorum, & omnes activæ dici & omnes passivæ, & duæ tantum activæ, quod dixit Philosophus, passivæ duæ, & porro symbola non differunt specie.*

XXVIII. *Generatio est mutatio totius: easdem nihilominus remanere posse formas & substantiales & accidentales, in genito*

in conjunctione iisdem in nodis. Solis ecli[illegible] nunquam existit, lunæ omnes sunt universales, [illegible] magis orientalibus: eclipses tam solis q[illegible] existunt, aliæ partiales, cujus causa est [illegible] majores aliæ, aliæ minores, et[illegible] punctis precisè, majorem faciunt [illegible] cujus commodior ratio afferri ne[illegible] sol & luna, ἐγκλειψοσίν: [illegible] prehensæ sunt lunares, qu[illegible] prorsus manente solis a [illegible] clo tribuendum est.

XXI. Circ[illegible] fides habe[illegible] potius peritissimi [illegible] vulgo, qui innumeras [illegible] les esse clamitat [illegible] tentur per firmamentum huc illuc sp[illegible] tum tenuitas ordinem: quum 1022. nec [illegible] consensu, tot retro seculis, recensuerunt [illegible] asterismos, quorum singulas stellas [illegible] eis admodum [illegible] numerare, & certè me non pœnitet in hac esse sententia, quòd plerasque non dentur insignioris magnitudinis, cujus sex vulgo memorantur differentiæ.

XXII. Astrologiæ partes duæ sunt, Theorica & Practica: illa Astronomia peculiari vocis usu dicitur, hæc Astrologia: judicia astrorum ut non sunt prorsum temnenda, modo circa ea hæserit, quæ ab astris pendent necessariò, ortus intelligo & occasus siderum, lunæ solisque labores, &c. & quæ plærumque consequuntur ista, annonæ caritatẽ, fertilitatem, tempestates & cæteraita quadamtenus impia & dementiæ plena, si deflectent ad ea, quæ humano subjiciuntur arbitrio, aut quæ divino proximè patent consilio.

XXIII. Quinque in cœlo paralleli, totidem in ipso describunt Zonas, quibus terra directè suppositа in totidem secatur partes, omnes habitabiles: qui in Zona degunt torrida, Amphiscii dicuntur, & amœnissima fruuntur habitatione, vident utrumque polum, omnia astra, binas habent æstates, binas hyemes, dies omnes habent noctibus æquales, dies tamen diebus inæquales, & in maxima solis declinatione minores & æquales: qui temperatam incolunt utramque, Heteroscii, qui frigidam, Periscii.

Motus

XXIV. *Motus gravium & levium à variis pendet causis: à generante conferente formam, ut causa prima, à forma ut proxima, efficiente per emanationem, à removente prohibens, ut causa per accidens, à gravitate & levitate ut instrumentis formæ, ab ipso toto elemento, ut agente per transmutationem, sed per accidens, quatenus à forma prius motum movet medium, ad cujus motum movetur: ita concilio pugnantes Philosophorum sententias: quia Philosophus 8. Physic. in movente se ipsum moventis & moti necessariam inculcavit distinctionem, hæc ratione saltem distingui in elementorum motu contendo, & hoc sufficere.*

XXV. *Cogitari non potest, unde existat interna in motu elementorum resistentia, nos externam tantum cum Philosopho agnoscimus: quare motum simplicium in vacuo, omnino non fieri diceret ille, licet animalis concederet, motum vero in vacuo, instanti fieri nunquam asseruit Philosophus, nec asserere potuit sine aperta contradictione, & supra quam par est, liberales sunt, qui hoc ei condonant.*

XXVI. *Motus τῶν βαλλομένων in fine tardior est, in principio celerior, quia vires motrices à movente externo impressæ medio, quod motus istius ex Philosophi sententia est vehiculum, deficiunt sensim, quo remotius itur à primo movente: Motus τῶν εἰσπεφυκότων in medio est concitatior, utrinque remissior, propter organorum quibus peragitur conditionem: Motus denique gravium & levium principio remissior in extremo concitatior est, propter continuam imminutionem resistentiæ in medio, nec diversus abit Philosophus 1. de cœlo Tex. 88.*

XXVII. *Qualitates elementares, vel motrices sunt, vel alteratrices, nechæ nec illæ elementorum sunt formæ, sed accidentia post[illegible] formis, & hæ tamen & illæ pro formis ipsorum latentibus capiuntur, unde & hæ illis & priores dici queunt, & posteriores: qualitates primæ tactiles & formæ elementorum essentiales dici possunt, & accidentales, & elementorum materia & mixtorum, & omnes activæ dici & omnes passivæ, & duæ tantum activæ, quod dixit Philosophus, passivæ duæ & porro symbolæ non differunt specie.*

XXVIII. *Generatio est imitatio totius: easdem nihilominus remanere posse formas & substantiales & accidentales, in genito*

& corrupto eaſdem, viventis in cadaver mutatio, græviſſima eſt documento.

XXIX. Meteorologicarum impreſſionum materia proxima, ſunt vapor & fumus, qui nec formis perfectis inter ſe differunt, nec ab elementis, terra & aqua, è quibus eliciuntur: ita enim quæ in hunc tantum finem deſtinavit natura, ut aliis complendis deſerviret, incompleta voluit manere ipſa, quod ſane de iſtis ſit veriſſimum, de elementis idem eſt falſiſſimum: neque vero putandum eſt imperfecte dici mixta, quaſi ad mixtionem non concurrant omnia elementa, ſed quia imperfecta eſt & debilis mixtio.

XXX. Anima principium eſt quâ animati corporis, quâ operationum animalium, ejus ut forma & actus, harum ut efficiens, ſui per eminentiam: ſecundum iſta duplex ejus definitio à Philoſopho aſſignata, prior, 2. de Anim. cap. 1. actus corporis, non ut materiæ, ſed compoſiti, quod ſit organicum, ſeu qua in potentia eſt ad operandum, non minus tamen vegetali convenit, quæ nunquam non operatur: poſterior ibidem cap. 2. principium primum, &c. à quo ſcilicet operationes, ſunt proximè, licet mediantibus facultatibus, quas ab ipſa re diſtingui, nimis abſurdum eſt non putare.

XXXI. Animæ vegetantis tres illuſtriores operationes: nutritio, accretio, generatio ſibi ſimilis; hęc omnium præſtantiſſima, hâc caduca affectant æternitatem, hinc famulantur reliquæ: ceſſante nutritione interit illico vivens, deſinit auctio ad ætatem conſiſtentiæ, licet adſint cauſæ, vel tum maximè vegetæ, propter oſſium ſoliditatem, ut extendi nequeant amplius, ab inde igitur carnoſiora non auctiora viventia: nutritio utut ab accretione diſtinguatur, ut mutatio à motu, prior à poſteriore, ab hac tamen includitur neceſſariò, niſi nudam extenſionem dicere vis hanc, non accedente materia, quod repugnat Philoſopho.

XXXII. Fit Senſio per ſpecies ſenſiles, accidentia ſpiritalia ab objectis diffuſa, (nam aliunde produci nulla cogit fateri ratio) in ſenſorium impreſſas, ab intus reſidente anima dijudicatas, receptoque rurſum in ſenſorium judicio: quare nec paſſio tantum eſt nec actio, ſed utraque, actio animæ, ſenſorii paſſio: & licet fortè in ſola viſione, ſpecies diffuſæ per medium mittantur in oculos, in aliis ſenſibus, reales qualitates ad organa perferantur, per impreſſas tamen ſpe-

men ſpecies, omnem fieri ſenſionem cogimur dicere, niſi ab objecto aliud numero percipi concedere volumus.

XXXIII. Ponendas eſſe ſpecies intelligibiles, facultatum cognoſcitivarum ſubordinatio evincit & dignitas: reales eſſe qualitates, ſpiritales quidem, non relationes meras, demonſtrant Phantaſmata, quæ pari cum ſint conditione, relata tamen dici nequeunt: imprimi realiter intellectui, confirmat, quod aſſerit Philoſophus, mentem poßibilem eſſe locum ſpecierum, eſſe inſtar materiæ, quam accedente forma actuari ſit neceſſe, ut intellectus hac ratione evadat ipſa res intellecta, & intellectio nihil ſit aliud, niſi impreſſa ſpecies: ceſſante vero intellectione, remanere porro impreſſas ſpecies, negat Philoſophus, dum memoriam reſpuit intellectivam, nos omnem velocitatem, omnem promptitudinem, quam exercet operando, habitibus buimus acquiſitis.

XXXIV. Singularia cognoſci etiam ab intellectu, omnino non impedit concretio cum materia, cum ne quidem à ſenſibus percipiantur ſpecies niſi immateriatæ: hæc primùm cognoſci, ſuadet univerſalium ab ipſis abſtractio, è univerſalibus, diſtinctâ notitiâ primum cognoſci, quę magis ſunt talia nemo non novit, confuſa, ſi intelligatur illa, qua pueruli primùm apprehendimus terminos, etiam quæ magis talia, ſin, qua adultiores, acquiſitis ante habitibus, nunc quæ magis talia, nunc quę minus, ad intelligentis arbitrium, nunc, tantum quæ minus talia.

FINIS.